

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 3875

**Auteur(s) :** Jean, Beaubec-la-Rosière, Notre-Dame et Saint-Laurent de Beaubec (abbé)

**Bénéficiaire(s) :** Philippe III le Hardi, France (roi)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1280, 26 juin

**Lieu d'émission :** Paris

**Action juridique :** échange

**Langue du texte :** latin

## Analyse

L'abbé Jean et les moines de Beaubec notifient qu'ils ont accepté 217 arpents et 67 perches de terre que le chevalier Jean Dagouvel, forestier, et 4 sergents du roi leur avaient assignées au nom du roi, en échange de l'usage qu'ils avaient eu pour leur abbaye et pour leur grange d'Épinay dans la forêt royale de Bray et qu'ils ont abandonné au roi.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 943, p. 236-237.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis seu etiam auditoris, frater Johannes dictus abbas Bellibecci, totusque ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Cum nos in foresta domini regis, que dicitur foresta communis de Brayo, usagium haberemus pro corpore abbacie nostre et pro granchia nostra de Spineto, pro videlicet abbacia, quantum una quadriga poterat adducere per diem, et pro dicta granchia ad omnia necessaria ipsius granchie, tandem, domini regis et nostri monasterii utilitate pensata, de utriusque partis consensu, nos dicti religiosi, in recompensationem tocuis usagii predicti domino regi a nobis quitati, acceptavimus ducenta decem et septem arpenta et sexaginta septem perticas tam bosci quam prati, brueriarum ac terre arabilis, que nobis, deliberaverunt et assignaverunt, ex parte domini regis, ad hoc missi, dominus Johannes Dagouvel, miles, dicti loci forestarius, Antonius dictus Le Tripier, Johannes Evroudi, Petrus de Forgiis, et Vincentius Meusor, servientes domini regis, sic sita et distincta, videlicet : in defenso haye de Mauquenchi, centum et quadraginta duo arpenta bosci, que se protendent a cruce du Hyaume usque ad grandem boscum nostrum et usque ad vadum de Soumeri ; item, in Cauda versus Mesnillium, duodecim arpenta et dimidium et septem perticas, contigua pecie bosci predictae ; item, versus Spineto, triginta novem arpenta et septuaginta tres perticas, contigua aliis boscis assignatis nobis ; item, prope Spineto, tria arpenta et viginti tres perticas prati ; item, versus dictam crucem undecim arpenta et triginta quator perticas bruerie, et versus Mesnillium octo arpenta et octoginta perticas, tam prati quam bruerie et terre arabilis ; que ducenta decem et septem arpenta et sexaginta septem perticas predicta, cum fundo terre, prout a vado de Soumeri usque ad granchiam de Spineto per metas ibi positas se comportant, nobis et monasterio nostro dominus rex dimittit et quitat im perpetuum, ad vendendum sine tercio et dangerio, et ad expletandum et faciendum, quandocumque voluerimus in posterum, quicquid nobis visum fuerit expedire, salva garana domini regis, quam sibi et successoribus suis im perpetuum retinet in predictis rebus nostris in recompensationem concessis. Et sciendum est quod nos tenemur duas vias per boscum nostrum nobis, ut dictum est, concessum facere, prout domino regi

videbitur, sicut magna via ducit de abbacia ad Spinetum juxta dicta ducenta decem et septem arpenta et sexaginta septem perticas ut gentes et servientes domini regis dicte foreste ire et redire valeant, et bosci domini regis deliberari per ipsas vias, quarum unaqueque unam perticam in latitudine continebit, et hee due vie, et boscus qui in eis creverit, et quicquid eis accesserit nostrum erit, et nos volumus et concedimus et alii usuarii dicte foreste communis similiter concesserunt, quod dictus dominus rex, in recompensationem dicti defensi sui nobis et monasterio nostro assignati, habeat de dicta foresta communi ducenta et triginta quatuor arpenta et viginti perticas tam bosci plani quam platearum vacuarum intermediarum, quorum centum et viginti sex arpenta sita sunt versus Spinetum et versus hayam de Mauquenchi ; item quinquaginta et unum arpenta et viginti pertice juxta defensa de Forgiis et de Fonte Barbeii usque ad campos de Fossato in Brayo se protendentia, et in loco qui dicitur la Mineree quinquaginta septem arpenta, que durant usque ad Moleriam et ad rivum Andele, in quibus ducentis triginta quatuor arpentis et viginti perticis ultimo nominatis poterit dominus rex facere defensum tale quale habebat in boscis supradictis nobis assignatis, in residuo autem dicte foreste communis retinemus nobis et monasterio herbagium et pasnagium tantummodo, sicut antea habebamus. In cujus rei testimonium, presentes litteras monasterii nostri eidem domino regi tradidimus sigillo unico sigillatas. Datum Parisius, anno Domini M° CC° octogesimo, die mercurii post festum Sancti Johannis Baptiste.